

teneat et possideat ea quæ tempore conclusionis treugarum tenebat.

4.º Quo ad Covolum Butistani et Villam Ampe-
titi, respondent præfati domini oratores quod dicta
loca sunt Cæsareæ Maiestatis jure belli et treuga-
rum et eo jure tenentur et possidentur.

98.º 5.º Quantum ad montaneas petitas, responden-
do negatur comunitatem Vicentiæ et alios cives illas
tempore belli et minus tempore conclusionis treuga-
rum possidisse, quin imo cæsarei agentes et tem-
pore belli et treugarum tenuerunt et possiderunt, et
ad præsens illas tenent et possident.

6.º Quo ad Castrum Mocho, Castrum Novum in
Histria et Castrum Sancti Servuli etc. respondetur
illustrissimos Dominos venetos in alio bello occu-
passe dicta loca et jussa fuisse pro illustrissimo Do-
minio parere potestati Justinopolis, scilicet in hoc
ultimo et justo bello ad primum dominium rediisse,
et pro Cæsareæ Maiestate jussa Cæsareis Capitaneis
parent, et illa jure justi belli et treugarum possessa
et tenta sunt, ac eodem etiam ad præsens jure tenentur
ac possidentur.

7.º Ad villas quasdam in genere petitas quas
Dominus orator venetus asserit esse de pertinentiis
et territorio Raspurch et Pasinaticorum, respondetur
quod villæ quæ ibidem tenentur et possidentur fue-
runt per cæsareos agentes in bello aquisitæ et jure
belli tenentur et conservantur, nec non vigore treuga-
rum quibus cavetur unumcunque pacifice tenere
et possidere debere ea quæ in conclusione treugarum
inventus fuit tenere, eo magis cum Raspurch per
Cæsareos possideatur in hoc bello acquisitum.

8.º Ad octavum capitulum generale generaliter
respondent, quod omnia alia loca et bona ubicunque
sita et specialiter in præmissis capitulis non expres-
sa, quæ per agentes cæsareos tenentur et possi-
dentur, jure justi belli et jure treugarum tenentur
et possidentur.

9.º Ad penultimum et ultimum capitulum de bo-
nis subditorum permittendis possideri ut erat ante
bellum et de fructibus perceptis ex bonis subdito-
rum tempore treugæ restituendis, respondetur
quod, etsi nos simus in treugua, non tamen sumus
in pace, cum treugua magis accedat bello quam
paci; imo treugua non est nisi cessatio a pugna
manente tamen bello, et cum ea quæ tenentur de
bonis privatorum pari modo etiam jure justi belli
et jure treugarum possidentur et tenentur dispo-
nenturque quod quilibet teneat et possideat.

Reservantes præfati cæsarei oratores facultatem
quandocunque opus fuerit proponendi producendi

et alligandi omnia et singula alia jura Cæsareæ et
Catholicæ Maiestati competentia et quovismodo com-
petitura.

Producta per magnificos Cæsareos in conventu.

Exemplum.

99

Die ante dicta.

Oratores Cæsareæ Catholicæque Maiestatis, visa
et mature considerata quadam tali quali specifica-
tione facta per clarissimum dominum Oratorem il-
lustrissimi Domini Venetorum, petitioni et instan-
tiæ per eum primo loco porrectæ inhaerentes re-
sponsioni eorum factæ dictæ petitioni, dicunt et
respondent ut infra, videlicet:

Nam ad primum, dum dicitur in ipsa speci-
ficatione, quod quantum ad jurisdictionem Patriæ Fori
Julii intentio est quod abstinence a villis et locis etc.

Præfati oratores dicunt, quoad ipsam speci-
ficationem non esse factam aliquam certam declaratio-
nem ita quod possit fieri aliqua certa specialis et con-
veniens responsio, cum non exprimat in ipso ca-
pitulo quæ sint villæ illæ et loca a quibus dicitur
esse Cæsareæ et Catholicæ Maiestati legitime, jure
belli et treugarum tenere et possidere omnia loca
quæ tenent et possident, et consequenter non occu-
pare aliqua loca nec ab illis abstinendum esse (*sic*).

Ad secundum, dum dicitur abstinendum esse a
villis, comunibus immediate, ut dicitur, subiectis ma-
gnifico domino Locumtenenti ipsius Patriæ, respon-
detur: quod cum in eo capitulo non exprimat
specialiter et nominatim, scilicet generaliter et per
modum generalitatis quæ parit obscuritatem et am-
biguitatem, non possunt aliquam responsionem spe-
cialiter et nominatim dare, nisi quod villas illas co-
munes quas tenent et possident agentes prædicti jure
justi belli et treugarum tenuerunt et possiderunt,
tenent et possident non autem occupaverunt, ut
in alia responsione facta dictæ petitioni dictum et
responsum est.

Ad tertiam, de villis prætensis subiectis, ut di-
cunt, comunitati Cividali, respondetur quod si quas
villas dictæ comunitatis tenent et possident, illas
tenuisse et possidisse, tenere et possidere jure justi
belli et treugarum.

Ad quartam, de prætensis villis et locis Monti-
sfalconi, similiter respondetur ut supra in 2.º ca-
pitulo et in prima responsione facta petitioni.

Ad quintam, de prætensis villis abbatiæ Rosatii,
respondetur ut responsum fuit ad capitulum secun-
dum dictæ petitionis.